QUID CENSUERIT
SOCRATES DE AMICITIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPSIT

OSCAR MANN

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXIII.

Cum multi eique doctissimi viri scripserint de Socratis doctrina et philosophia cumque alii alias partes doctrinae illius philosophi pertractaverint: miror neminem, quod ego sciam, accuratius examinavisse, quid docuerit et judicaverit homo ille doctissimus de amicitia, haud indignum, ut mihi quidem videtur, quod accuratius et diligentius exponatur. Itaque cum nusquam invenerim nisi obiter tractata constitui scribere de ea re paulo copiosius. Brandis autem [1]) judicat: „Wie weit die platonischen Begriffsbestimmungen (sclct. über die Freundschaft und Liebe) von Socrates bereits eingeleitet waren, möchte sich nicht entscheiden lassen." Qui quamquam tali modo judicavit, tamen conabimur omnibus rebus consideratis quid Socrates docuerit discernere et constituere. Mirabilem autem in modum plerique homines docti videntur consentire, Socratem haud aliud principium et fundamentum amicitiae agnovisse nisi utile semperque amicitiam utilitate mensum esse [2]), qua de causa ab aliis nudis verbis ab aliis tecte reprehenditur et vituperatur, velut a Dissenio [3]) qui postquam locos quosdam e Xenophontis libris desumptos [4])

---

[1]) Brandis, Geschichte der Entwicklung der griechischen Philosophie. I. p. 243.

[2]) Stallbaum, Einleitung zum Lysis p. 89.
Köchly, academ. Reden und Vorträge. cfr. neue Jahrbücher für Philologie und Paedagogik. Band 79. p. 561.
Steinhart, Einleitung zum Lysis in der Uebersetzung von Müller. p. 218.
Susemihl, die genetische Entwicklung der platonischen Philosophie. p. 19.

[3]) Dissen, programma de philosophia morali in Xenophontis de Socrate commentariis tradita. Göttingen, 1812. p. 12.

[4]) Xenoph. Memorab. Socr. II. 4, 5—7. οὐδενὸς λείπεται

protulit, ita fere pergit: „Haud opus est ostendere quantopere talia recedant ab ea quam in generosis viris fuisse novimus sententiam. Tantum enim aberat ut hi de istis utilitatis rationibus cogitarent, quarum vel meminisse vitium duceretur, ut in ipsa animorum conjunctione inesse sentirent divinam amicitiae pulchritudinem atque praestantiam.“ Tamen idem Dissenius profitetur se suspicari eam non esse iutegram Socratis philosophiam et cum Xenophontis dicta praesertim attulerit, in illum culpam infert. Quod quomodo se habeat jam considerabimus. —

Ac primum quidem constat Socratem mirifice animos aequalium commovisse; multis locis narrant alios eum summo odio persecutos esse, alios admiratos esse et maximo amore affecisse. Alii eum comitabantur quocumque migrabat, alii evitabant ut inimicissimum, aliis indignationi erat, aliis in summis deliciis. Homines summa indole praeditos ad se allexit adeoque adstrinxit ut arctissimo amicitiae vinculo continerentur, velut Platonem, Alcibiadem, Critiam, Theramenem, alios; omnesque ad virtutem doctrina sua studebat perducere dabatque operam ut in dies meliores sapientioresque evaderent. E tot discipulorum et amicorum numero duos tantum esse qui litteris mandaverint de Socratis vita et scriptis notum est, Xenophontem et Platonem, quorum scripta et opiniones quomodo differant inter se, quomodo judicanda sint jam veterrimis temporibus dubitatum atque disputatum est. Quibus rebus omissis jam liceat nobis exponere quid uterque tradiderit de amicitia, quo facto considerabimus quid sit censendum de utroque atque quid judicandum de Socratis ipsius sententia.

I.

Ac multis quidem locis de amicitia agit Xenophon, aut obiter aut accuratius. Plus uno loco Socrates fatetur

se esse petitorem et venatorem amicorum[1]), neque tamen propter corpus sed propter animum et ingenium[2]). Id enim se agere, ut, quantum possit, discipulos atque amicos meliores et sapientiores reddat[3]); nihil sua pluris interesse quam excolere eorum ingenia, prodesse eis et producere ad virtutem. Amicum autem probum, fidelem, spectatum pluris censet quam omnia alia bona[4]). Nec tamen quemlibet amicum esse posse, nam intemperantes, prodigos, avaros, lucri cupidos, seditiosos, aliisque vitiis maculatos esse fugiendos, virtutibus contrariis praeditos conciliandos.[5]) Nemo enim sententia ejus amicus aut esse aut fieri unquam potest nisi qui adjuvet amicum, qui quid faciat amicus ei possit suadere,[6]) qui quid ipsi desit et qua re alteri possit succurrere sciat. Quo plura autem bona alter alteri afferat, quo plura accipiat: eo firmiorem et majorem esse amicitiam censet; cumque nemo possit revera beneficia inferre nisi bonus, neminem amicum esse nisi bonum.[7]) Pravus homo nunquam eligetur a probo et bono nisi forte eo consilio, ut corrigantur ejus mores; quod nisi fiet, celerrime disjungetur amicitia illa. Societas pravorum vel tyrannorum vel demagogorum vel aliorum non potest nominari amicitia. At si quis miretur quod non omnes boni sunt amici, ei cogitandum est saepe ambitionem et cupiditatem intercedere quae bonos reddat adversarios.[8]) Tali modo autem judicavit considerans factiones quae in quaque republica inveniebantur atque efficiebant ut vel optimi segregarentur

---

[1]) Xen. Memor. II. 6, 28: „διὰ τὸ ἐρωτικὸς εἶναι etc.

[2]) l. c. IV. 1, 2: „τῶν τὰς ψυχὰς εὖ πεφυκότων ἐφιέμενος.

[3]) l. c. I. 6, 9.

[4]) l. c. II. 4, 1.

[5]) II. 6, 1—5.

[6]) l. c. I. 2, 52.

[7]) l. c. II. 6, 14—19.

[8]) Memor. Socr. II. 6, 20: „καὶ οἱ τὴν ἀρετὴν ἀσκοῦντες στασιάζουσι etc.

atque obstarent alter alteri. Eodem loco (Memorabil. II. 6, 21 sqq.) Xenophon, id quod mihi videtur summi momenti esse, adjungit quid censuerit Socrates de ratione intercedente inter singulos totamque rempublicam. Constat enim respublica ex singulis quibusdam hominibus egenis, caducis, debilibus quorum sua quisque commoda petit, suas libidines ac cupiditates studet complere. Sibi quisque conatur auctoritatem et potentiam arrogare quantum potest ut vivat quam jucundissime. Hoc igitur modo consideranti civitas videtur composita esse ex mere singularibus hominibus quorum suam quisque viam init alteros persequens atque opprimens. Nec tamen haec sufficiunt; alia enim ratione homo natus est ad societatem; nemo solus potest esse sine sociis; neque domi neque in civitate carere licet amicitia; nemo potest esse sine auxilio aliorum ipsius ope carentium. Multum certatur et domi et in republica; resistendum igitur est malis, succurrendum bonis; cuique defendenda est patria ab in imicis, non soli, sed una cum aliis, cum amicis. Atque haec quidem est amicitia generaliter dicta oriens ex natura hominis ad societatem destinati, per se nihil consequentis aut efficientis. Homines inutiles, infirmi, stulti, libidinosi, inconstantes pro nihilo habendi sunt; contra qui maxime studet excolere vires et animi et corporis, maximi fit, cum saluti communi maxime serviat. Utilitas igitur amicitiam gignit, vel potius necessitas et condicio humana. Suae quisque simulque aliorum saluti studere debet. Amicus mihi est qui mihi prodest, amicus qui idem sentit de deis eorumque cultu, qui eosdem eligit magistratus atque ego, amicus medicus qui morbum depellit a me, amicus magister qui animum meum erudit; cui utilis sum qualibet ratione, ei amicus sum. Nec tamen ut singuli felices evadant studendum est, sed ut felicitate singulorum omnes ad felicitatem perducantur. Maxime autem amicitia fit ut eo perveniatur,

cum boni ad bonos trahantur et compellantur, quo facilius resistant pravis et improbis unitis viribus. Pravi enim sunt qui sibi solis studeant, qui se solos ad felicitatem promoveant alios opprimentes et persequentes; temperantia autem (ἐγκράτεια) summa virtus est amori sui opposita. — Itaque id fere est Socratis praeceptum ex Xenophontis libris depromptum: Excole vires et corporis et ingenii, ut omnibus carus et amicus fias; eos dilige et magni puta qui tibi possint prodesse et velint; effice, quantum poteris, ut quam optime regatur et administretur respublica quo feliciores omnes evadant; cumque sibi soli nemo debeat vivere, sed patriae et civibus: quaere amicos homines probos, quorum auxilio et bona inferendo et accipiendo non solum ipse felix fieri, sed etiam patriam et cives felices reddere possis. Atque considerandum est felicitatem illam cui studebat Socrates, minime esse libidinem et voluptatem et intemperantiam qualem petebant sophistae, sed potius intelligendam esse haud dissimilem virtutis, cum ἐγράτεια semper magni momenti sit ad eam efficiendam. Non enim indulgentes libidinibus, sed potius opprimentes et continentes eas nos revera felices evadere plus uno loco Socrates contendit et profitetur in Xenophontis libris.[1])

Haec fere sunt quae colligendo, investigando, comparando in Xenophontis libris invenimus. Non praetereundum videtur hoc loco nos sententiam sequi plurimorum qui verba fecerunt de Xenophonte, nempe eum non philosophice scribere;[2]) notum enim est eum id egisse ut paucis annis post decessum Socratis quem maximi fecerat atque summo

---

[1]) Memor. IV. 5, 11. — I. 6, 10.

[2]) cfr. Schleiermacher, Dissen, Zeller, Brandis etc. De hac tota re accuratissime egit Ribbing, über das Verhältniss zwischen den platonischen und den xenophontischen Berichten über die Persönlichkeit und die Lehre des Socrates etc. Upsala, 1870. p. 48. sqq.

amore complexus erat, scriberet atque componerat quae memoria teneret, ut demonstraret Atheniensibus aequalibus et posteris quam injuste Socrates capitis esset damnatus. Minime id egit ut Socratis disciplinam et doctrinam quaecunque fuit illustraret et componeret; sed sicut ei in mentem veniebant litteris mandavit quae maxima et gravissima putabat. Cumque non esset philosophus, sed homo reipublicae et belli peritus, minime ejus videtur interfuisse philosophice scribere. Itaque gravia quaedam omittens, levia augens, falsa concludens quae non consequuntur ex antea dictis, sermones conglutinans temporibus variis variis de causis habitos saepe efficit, ut plane alter Socrates appareat atque fuit,[1]) neque dubium est quin Socrates multo magis philosophice possit tractavisse res quam exposuit Xenophon. Nec tamen credendum est ementitum esse aut finxisse quaedam Xenophontem; vera semper conatus est et voluit tradere de magistri doctrina, nec tamen semper potuit. Itaque quae scripsit ea vera esse non est, cur negemus; tamen facile potest fieri ut deficiant nonnulla, ut plura docuerit Socrates, ut copiosior fuerit et altius intraverit interiusque rem excusserit ejus doctrina, qua de re verba faciemus Platonis opera perscrutati.

II.

Plurima de amicitia Plato disputavit in Lyside dialogo, nonnulla obiter aspersit Phaedro, Convivio, Reipublicae dialogis; itaque maxime animadvertemus ad Lysidem omnibusque involucris orationis detractis argumentum purum atque verum quaerere studebimus. Prima autem parte[2]) exponitur neminem posse *φίλον* nominari nisi qui

---

[1]) Zeller, Philosophie der Griechen II. 1, p. 73, 122 sq. Curtius, griech. Geschichte III. p. 498 sqq.

[2]) — § 207. C.

se utilem praebeat; patres igitur studere filios sapientes reddere atque utiles civibus et reipublicae; non solum liberos et ingenuos *φίλους* esse, sed etiam servos si quid boni didicerint; non esse amatorem et amicum probum qui non studeat dilectum meliorem reddere; qui aut blanditiis aut mendaciis eum ad se allicere studeat, plane vituperandum et minime amicum esse nominandum. Itaque hac quidem significatione nihil aliud est *φίλος* nisi utilis, gratus, acceptus, id quod plane apparet ex § 210 D.: „*ἐὰν σοφὸς γένῃ* i. e. prudens, peritus, *πάντες σοι φίλοι καὶ πάντες σοι οἰκεῖοι ἔσονται· χρήσιμος γὰρ καὶ ἀγαθὸς ἔσει*". Id quasi fundamentum et argumentum toti dialogo supponitur. — Deinde postquam exposuit Plato *φίλον* non solum significare carum, gratum, acceptum, dilectum, sed etiam diligentem, amantem, magni facientem, demonstrat amicitiam esse non posse nisi inter duos vel complures, ita ut diligat alter alterum, diligatur ab altero eadem ratione qua in inimicitiis alter oderit, alter odio sit; mutuam igitur esse amicitiam,[1]) neque quemquam revera amicum esse nisi redametur ab amato. — Tertia parte[2]) examinat philosophus qui et quales homines possint fieri amici et quaenam sit causa amicitiae. Cumque refutatum sit illud, pares esse amicos aut dispares, quia falsa et inepta consequuntur, nihil videtur restare nisi ut neque boni neque mali sint amici, *οἰκεῖοι* i. e. vinculo quodam colligati, quorum natura moresque conjuncta et propinqua quodammodo sint; pravos homines non posse amicos esse, quippe qui nunquam sint *οἰκεῖοι* alter alteri; bonis i. e. hominibus plane perfectis atque absolutis non opus esse amicitiam, quippe qui nihil desiderent; causam enim esse amicitiae indigentiam quandam naturae hominum qui per

[1]) — § 214. A.
[2]) — § 222. E.

se ipsi non perfecti et ab omni parte beati sint; itaque innatam esse unicuique cupiditatem quandam qua trahatur ad alterum, *φιλίαν* igitur revera cadere sub libidinem et cupiditatem. Ut autem quaeque cupiditas eo contendat ut expleatur: ita eam quoque qua ad homines *οἰκείους* trahamur, atque consecutos quae quaeramus beatos nos evadere. Eamque esse causam voluptatis amicitiam sequentis. Spectat igitur *φίλον* ad pariendam felicitatem humanam, omnia *φίλα* autem vergunt ad *πρῶτον φίλον* i. e. *τὸ τῷ ὄντι φίλον*, quod omnibus aliis quasi causa subest, cuius alia nihil sunt nisi species et imagines. Illud *πρῶτον φίλον* i. e. bonum ipsum non potest inveniri in hoc orbe terrarum aut in rebus humanis, in quibus vera et perfecta felicitas non existit, sed relata quaedam et comparata, ad quam consequendam plurimum valet amicitia, cum, quod alteri desit, accipiat ab altero detque illi quod desit, ut dando accipiendo, docendo discendo etc. homines beatiores evadant. Negative autem finitur dialogus, cum Plato Socratem dicentem faciat § 222 E.: „*Εἰ μήτε οἱ φιλούμενοι μήτε οἱ φιλοῦντες μήτε οἱ ὅμοιοι μήτε οἱ ἀνόμοιοι μήτε οἱ ἀγαθοὶ μήτε οἱ οἰκεῖοι εἰ μήτε τἆλλα ὅσα διεληλύθαμεν — μηδὲν τούτων φίλον ἐστίν, ἐγὼ μὲν οὐκέτι ἔχω τί λέγω.*“ Facile autem est cognitu, quid revera censuerit, atque equidem haec fere credo addenda nobis esse sententiam ejus sequentibus: „Amicitia oritur in rebus humanis propter debilitatem hominum, quorum nemo sibi ipse satisfacit, sed naturali quodam sensu atque impulsu adducitur ad alterum quem sperat atque suspicatur sibi utilem, salutarem, necessarium fore, qui quamquam et similis et dissimilis illius potest esse, tamen debet probus, bonus, studiosus veri rectique esse; cum autem conjuncta sit cum libidine et cupiditate quadam, laetitia et voluptas nobilis sequitur amicitiam, qua nihil aliud efficitur nisi ut adipiscamur bonum augeamusque felicitatem nostram omniumque hominum.“ —

Priusquam vero ad ea transeamus quae aliis in dialogis Plato de amicitia et amico docuit, jam liceat breviter exponere quid judicemus de nonnullis hominibus doctis qui scripserunt de Lyside ejusque argumento. Ac primum quidem plane refellimus Astium et Socherum qui dialogum genuinum esse negaverunt nihil aliud in eo cognoscentes nisi „ein trügerisches Spiel mit Sophismen jeder Art.“ Non intellexerunt Platonem artificiose sophismata quaedam ei dialogo inseruisse ad illudendum et irritandum Menexenum adolescentem. Quid revera judicaverit Plato nesciunt. Profecto non negandum videtur Platonem utentem ἀγαθὸς et κακός verbis haud semper secum congruere, cum ἀγαθὸς modo sensu morali sit „justus, probus, doctus, sapiens,“ modo „perfectus, nullius rei egens, contentus.“ Quod quamquam verum est, tamen in omnibus his significationibus unam notam inesse nemo est qui neget, Platonisque ratio sibi constabit dummodo ne obliviscamur nondum, ut Aristotelem, arctis finibus Platonem notiones vocabulorum circumscripsisse atque definivisse, praecipue in primis quos scripsit dialogis. — Sed nescio an C. F. Hermannus quoque aberraverit a vero, quippe qui nihil dicat exponi hoc opere nisi objectum philosophiae i. e. summum bonum, praeterea vituperare Platonem eos qui neglegenter poetarum locos et dicta philosophorum afferant. Plerique autem alii homines docti mihi videntur paulo arctioribus finibus circumscribere argumentum dialogi, cum dicant amicitiam a Platone tractari ad illustrandam naturam philosophiae quod nonnullis rebus mutatis et Schleiermacherus et Hermannus et Susemihlius contendunt qui dicat in libro excellentissimo suo: [1]) „Die Absicht des Ganzen ist, Trieb und Gegenstand oder Zweck der Philo-

---

[1]) Die genetische Entwicklung der platonischen Philosophie. I. p. 23.

sophie d. i. Liebe und höchstes Gut, sodann das Mittel, durch welches jene dieses erreicht d. h. die Freundschaft, und endlich die praktische Anwendung dieses Mittels d. h. die Methode, in vorbereitender Weise und zwar mit Andeutung der Folien darzustellen." Quod quamquam luculentissime dictum est, tamen non intelligo, cur Plato de philosophica tantum ut ita dicam amicitia disputare credendus sit, cum videret in aliis quoque omnibus rebus humanis amicitiam summi momenti esse, timeoque ne Steinhartius verissime judicaverit de ea re, cum intellexerit, Platonem generaliter agere de amicitia ejusque causa, cuius originem recte dicit esse indigentiam hominum singulorum et cuius naturam docet eam esse ut homines vel similes vel dissimiles, sed honesti et probi verum, bonum et felicitatem et virtutem conjuncti appetant.[1])

Quibus rebus expositis jam considerabimus, quid inveniatur in aliis Platonis dialogis, praecipue autem in Phaedrum, Symposion, Rempublicam inquirere oportebit. Ut autem in Lyside dialogo monemur amicitiam partem quandam esse *ἔρωτος*: ita in illis quoque haud accurate distinentur *ἔρως* et *φιλία*. *Ἔρως* enim philosophice dictus nihil aliud est nisi vinculum quoddam hominum et deorum; supra hunc orbem terrarum alius orbis est idearum quae verum, bonum, pulchrum continent. Has ideas cognoscendi studium homini natura insitum *Ἔρως* est i. e. desiderium similitudinis deorum, desiderium immortalitatis quae contingit homini, qui postquam cognovit bonum, verum, pulchrum, in hoc orbe terrarum ea procreare studet, quantum potest. Aliis locis minus philosophice utitur illo vocabulo Plato ita ut significet procreandi pulchrum in pulchro corpore cupiditatem. Itaque revera non multum differt amicitia ab amore; utrumque sub cupiditatem cadit

---

[1]) Einleitung zur Uebersetzung von Müller I. p. 229.

e natura humana nascentem, qua nemo solus perfectus et beatus potest fieri; utroque efficitur, ut ad felicitatem producantur homines.[1]) Multis locis id aut planis verbis declarat Plato aut tecte significat velut in libris qui sunt de Republica; tres enim ordines reipublicae et in se et cum aliis continentur amicitia; amicitia sublata tota respublica deletur, pessumdatur, dilabitur.[2]) Haec autem de qua verba fecimus amicitia est ut ita dicam civilis, ad humana remque publicam, felicitatem terrestrem spectans; altera autem nobilior, major est philosophica amicitia quae oriens inter homines sapientiae studiosos efficit, ut ad divina, ad ideas adducantur et tollantur. Quanto gravior autem anima est corpore, quanto excellentior, Platonis quidem opinione, philosophus homine civili et vulgari; tanto superior amicitia philosophica censenda est vulgari illa et civili. —

Quae cum ita sint, jam oportet considerare quomodo differant, quomodo congruant iter se quae tradiderunt Xenophon atque Plato. Ac primum quidem uterque saepe contendit non posse amicos esse nisi bonos, malos nec sibi nec bonis amicitia conjungi. Boni autem ei sunt qui naturae quodam impulsu ad bonum, ad virtutem, ad cognosendum et faciendnm bonum, rectum, pulchrum ducantur.

Deinde quamvis multi crimini dederint Xenophonti quod sola utilitate metiatur amicitiam: tamen non potest negari quamquam amicum χρήσιμον saepe dicat, alias quoque notas eum adjecisse, ut „temperans, moderatus,“ alias, ita ut utilis vocabulum non sensu stricto, sed lato sit

---

[1]) Wehrenpfennig, die Verschiedenheit der ethischen Principien bei den Hellenen etc. Progr. des Joachimsth. Gymn. 1854. p. 140.

[2]) Respublica IV. 442 C. 432 A.

intelligendum, atque ut utilitas non causa amicitiae sit credenda, sed fructus. Minime enim ex amicorum numero praeceptores philosophiae, artium, virtutis excludit, sed eos maxime verosque amicos nominat ut hac quidem ratione a Platone haud admodum videatur differre, cum permultis locis ille quoque bonum et utile componat cfr. Meno 87 E. *πάντα γὰρ τἀγαθὰ ὠφέλιμα.* Protag. 333 E. *ταῦτ' ἐστὶν ἀγαθὰ ἅ ἐστιν ὠφέλιμα.* 358 B. Republ. II., 379 B. — Deinde amicitiam mutuam esse ut alter ab altero adjuvetur plus uno loco exponit Xenophon, qua in re consentit cum Platone. — Gravissimum autem id mihi videtur esse quod exposuit in Memorabilium libro II., 6, 25 sq., amicitiam oriri ex generis humani necessitate atque indigentia atque oppositum esse amorem sui — amori erga alios, amicitiae bonorum, qui ut communem salutem consequantur atque efficiant, conjungantur atque resistant vitiis et cupiditatibus aliorum, qua re omnes fiant quam beatissimi. Atque hoc non minus contendendum esse de vita civili quam de philosophica luce clarius est; itaque si Xenophonti occasio fuisset copiosius disserendi de ea re, fortasse exposuisset eos quoque amicos esse qui expellendae stultitiae ipsorum et aliorum operam dent conjuncti cupiditate quadam et desiderio prope divino, cuius rei exempla proferuntur in Xenophontis libris discipuli atque amici Socratis qui nunquam ab eo discessisse traduntur verae geminaeque amicitiae vinculo cum eo conjuncti. Quos quamquam utilitas ad magistrum adduxit, tamen utilitas non vulgaris, ut ita dicam, sed superior et nobilior quaedam, non commoda victus aut corporis, sed mentis ingeniique expetens, cum alter ab altero promoveatur ad virtutem et sapientiam. Luculentum autem exemplum amici veri i. e. hominis, quantum fieri potest, perfecti et boni, omnibus *οἰκείου* exceptis eis qui eum capitis damnaverunt, Socrates ipse est; illis autem non poterat amicus esse, nam hominibus

malis et perditis neque boni neque mali amici possunt esse (Memorab. II., 6, 19 sq.). —

Itaque quoniam Socrates semper fertur quaesivisse, *τί ἕκαστον εἴη τῶν ὄντων*, quaerentem atque exponentem quid esset amicitia, postquam omnia e Platonis atque Xenophontis libris contulimus atque comparavimus, hoc fere modo eum docuisse credimus ambage orationis detracta: „Amicitia condicio est duorum vel plurium hominum bonorum i. e. temperantium suamque ipsorum utilitatem saluti communi postponentium, quorum alter ad alterum trahitur ad comparanda bona aut victus aut ingenii, ad resistendum bonis, ad erudiendum animum; causa autem est amicitiae quod omnes nati sumus ad societatem et consuetudinem aliorum, quod nemo secum vivere potest solus. Procreatur autem amicitia et augetur felicitas omnium et singulorum hominum." — Neminem spero fore qui haec a Socrate dicta esse neget, neque quidquam aut in Xenophontis aut in Platonis libris repugnare videtur. Nec tamen dubium videtur quin Plato auxerit et amplificaverit ea quae Socrates docuerat; namque minime a vero me aberrare puto dicentem illa quae in Lyside dialogo scripserit Plato de primo amico (*πρώτῳ φίλῳ*)[1]) de „*τῷ ὄντι φίλῳ*"[2]) de „*κακοῦ παρουσίᾳ κακῷ*,"[3]) alia eum adjecisse ex suis quippe quae propinqua sint doctrinae quam posteriore vitae tempore excoluit de ideis; itaque facile potuit fieri ut legens librum illum Socrates exclamaret: „*ὡς πολλά μου ὁ νεανίσκος καταψεύδεται*," quae Diogenem Laërtium commentum esse nihil est cur credamus. Minime enim praeterire poterat Socratem ea nova quaedam esse, nec tamen aliena sententia sua, cum revera fundamentum totius dialogi nitatur Socratis doctrina

---

[1]) Lysis, 219 C.

[2]) l. c. 220 B.

[3]) l. c. 217 C. sq.

qualem conjecimus fuisse omnibus rebus comparatis. Cumque Socrates singula soleat considerare conjuncta cum omnibus aliis rebus quales sunt: non metitur amicitiam notione ut ita dicam et idea amici, sed reipublicae condicione et ratione hominis ad amicitiam destinati. Plato vero omnia ad ideas, ad notas sempiternas referens et requirens id quod subest singulis rebus, quo metiri et judicare debemus singula, rarius de amico qua masculinum quam qua neutrum agit; tamen uterque eodem fundamento niti et ad eandem fere doctrinam pervenisse de origine, consilio, natura amicitiae credendus est. Xenophon in eo fortasse erraverit quod cum ipse ad res gerendas, ad vitam maxime inclinet cumque de republica negotiisque publicis plerumque philosophetur: etiam Socratem idem fecisse nimis videtur demonstrare velle, quamquam non negaverim Socratem non raro tales res tractavisse quales ille eum tractavisse memoriae tradidit ad vitam communem pertinentes; tamen facile poterat fieri ut Xenophon, quae Socrates exempli gratia atque ad incohandam quaestionen aliquam dixerat, rem ipsam crederet atque quae concluderet ille, non intelligeret aut oblivisceretur, ut non semper vera Socratis imago ejusque doctrinae adumbratio in Xenophontis libris appareat. Illud sine dubio certum est Socratem semper spectavisse felicitatem hominum finem totius vitae, ita tamen ut non *εὐτυχία* sit, sed *εὐπραξία* i. e. felicitas non voluptate, cupiditate, libidine parta, sed virtuti similis;[1]) ad quam comparandam plurimum valet amicitia. Idque magnam partem etiam in Platonem quadrare notum est.[2]) —

---

[1]) Cfr. Memor. IV. 6, 8: „*ἄριστα μὲν γὰρ οἶμαι ζῆν τοὺς ἄριστα ἐπιμελομένους τοῦ ὡς βελτίστους γίγνεσθαι, ἥδιστα δὲ τοὺς μάλιστα αἰσθανομένους ὅτι βελτίους γίγνονται.*“ cfr. I. 6, 9.

[2]) Plato, Symp. 205. A. — *κτήσει γὰρ — αὐτοῖς εἶναι ἀεί.* cfr. Resp. VI. 505. D.

Hoc loco liceat adjungere quae antea omisimus, quamquam non aliena videntur quaestione nostra. Plato in Theaeteto dialogo[1]) dicit esse quosdam qui discedant a Socrate rati se satis sapientes esse et eruditos et facile carere praeceptore; postea autem cognoscentes se nihil scire, nihil boni efficere, eos reverti ad Socratem; tum vero mirabile aliquid fieri, nonnullos enim recipere Socratem juberi, nonnullos vetari daemonio. Itaque cum discipuli amici sint, daemonium profitetur Socrates valere ad amicitiam pariendam. Daemonium autem constat inter homines doctos nihil aliud significare nisi sensum quendam obscurum hominibus innatum, ducentem eos ad rectum virtutemque, ubi cognitio et consideratio haud sufficiant. Itaque simile est sensui illi et judicio recti pravique hominibus innato aut insito, quod secundum religionem et indolem Graecorum a nostra differentem haud apparebat neque spectatum aut nominatum est a quoquam philosophorum qui fuerunt ante Socratem. Qua de re luculentissime disseruit Ribbingius in libello qui inscribitur: „Ueber Socrates Daemonion.“[2]) Nihil aliud igitur Plato significare videtur, cum daemonium efficere aliquid in amicitia posse doceat, nisi hoc: „Cum non semper accurate cognoscamus et perspiciamus, quocum vivere et versari, quo amico uti salutare et bonum nobis sit futurum, audire debemus vocem illam internam, sensum prope divinum, quo repellimur a malis.“ Cum vero constet habuisse Socratem daemonium et introduxisse in doctrinam suam, quaeritur an apud Xenophontem quoque vestigia quaedam illius rei inveniantur. Atque Ribbingius quidem, cum in libro citato optime atque accuratissime omnia ad eam quaestionem pertinentia composuerit, tamen mihi videtur unum locum neglexisse haud alienum fortasse hac re.

---

[1]) Theaetet. p. 151. A.

[2]) Upsala, 1870.

Dicentem enim Xenophon facit Socratem:[1] „Πρῶτον μὲν τὰ παρὰ τῶν θεῶν ἐπισκεπτέον, εἰ συμβουλεύουσιν αὐτὸν φίλον ποιεῖσθαι“. Quid autem significat „τὰ παρὰ τῶν θεῶν?“ Sine dubio oracula, auguria, sacra, res divinas, in quibus omnibus apparet daemonium, id quod exponitur in libro primo Memorabilium.[2] Cumque dicat: „Ἃ δὲ μὴ δῆλα τοῖς ἀνθρώποις ἐστί, πειρᾶσθαι διὰ μαντικῆς παρὰ τῶν θεῶν πυνθάνεσθαι δεῖ· τοὺς θεοὺς γὰρ οἷς ἂν ὦσιν ἵλεῳ, σημαίνειν,“ de amicis, cum cogitando et ratione non plane possimus cognoscere, utrum utile sit futurum elegisse necne, daemonium consulendum esse conset, in oraculis rebusque divinis apparens. Comparantes vero illum Theaeteti locum et locum ex Memorabilibus desumptum,[3] quo Socrates etiam sine oraculis per se ipse quid fas sit et utile factu scire perhibetur: cognoscemus „τὰ παρὰ τῶν θεῶν“ alia fortasse ratione declarandum esse; non dubito enim, quin Socrates daemonium i. e. sensum illum vocemque internam in amicis eligendis summi momenti esse docuerit. Qua in re Xenophon non plane videtur cognovisse veram magistri sententiam, cum ad res externas illud pertinere credat; Plato vero recte in animo et sensu hominis illam vim divinam videtur ponere. Quod quomodocunque se habet, tamen in eo consentire eos constat quod cum ratio hominis et scientia haud sufficiat ad cognoscendos amicos, accedere aliquid dicunt, quo moneamur et ducamur, divinum, quod Socrates quoque vocaverat daemonium. —

III.

Quibus omnibus rebus pertractatis jam restat ut totius aetatis indole observata consideremus quomodo Socratis

---

[1]) Mem. II. 6, 8.

[2]) Mem. I. 1, 3, 4, 9.

[3]) Mem. IV. 3, 12, 13: „εἴγε (scil. θεοὶ) μηδὲ ἐπερωτώμενοι ὑπό σου προσημαίνουσί σοι, ἅ τε χρὴ ποιεῖν καὶ ἃ μή.

doctrina judicanda sit comparata cum aequalibus atque prioribus philosophis. Nemo enim philosophus recte potest judicari nisi ratione habita totius qua natus est aetatis, temporum praeteritorum, eorum hominum quorum imitatur aut impugnat sententias. Consentiunt autem omnes Socratem primum devocavisse philosophiam a coelo et collocavisse in urbibus et introduxisse in domos et coëgisse de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. Quod quamquam verum est, tamen paulo ante eum exstiterunt qui de eisdem rebus quaererent, sophistae, quos summa acerbitate aggreditur Socrates. Illi enim Graecia jam decrescente existentes tumore orationis atque doctrinae omnia pervertere coeperunt, quae videbantur coelo firmiora et aere perenniora esse.[1]) Non solum contenderunt nihil posse cognosci, sed ne esse quidem quidquam atque etiamsi esset non posse doceri atque dici. Itaque quemque omnia posse et debere judicare; cuilibet facultatem esse sua ipsius ratione orbem terrarum constituendi, cumque quid verum, quid falsum esset, nemo posset discernere, quod quis persuaderet alteri verum esse; veritatem ipsam esse nullam; fraudare, decipere, fallere homines, persuadere et blandiri eis optimi atque callidissimi esse hominis. Cumque antea civitatem Graeci censuissent a Deis institutam esse, ut legibus parere, saluti communi servire probitatis atque pietatis esset, ut qui non pareret ejiceretur aut mulctaretur, ut leges sempiternae atque divinae haberentur: tum sophistae coeperunt docere leges inventas esse ab infirmioribus, qui cum hominibus potentioribus non possent resistere, tali modo eorum vim atque voluntatem coërcere atque continere studerent; quamobrem qui eas posset negligere, qui haberet facultatem alios oppri-

---

[1]) Steger, platonische Studien. Innsbruck. II. p. 3—12.

mendi, laedendi, subjiciendi, eundem jus habere. Itaque omnes studebant sibi comparare potentiam quam maximam; cupidi erant regnandi, ut ipsi essent felices, ut cupiditatibus ac libidinibus suis possent indulgere, aut vi aut blanditiis aut mendaciis illud efficientes, ut parerent caeteri. Quae cum ita sint, quis est cui mirum videatur, quod animi multorum perturbati atque excitati erant, quod incipiebant negligere Deos, odisse veritatem probosque homines, quod respublica non regebatur ab hominibus bonis et justis, sed ab eis qui eloquentia praediti plebem dirigebant et excitabant, sua ipsorum commoda petentes? Quae omnia tandem eo rem perduxerunt ut Graecia corrupta et pessumdata plane periret, discordiis civilibus jactata et dilaniata, bonis civibus frustra resistentibus. In quibus Socratem quoque numerandum esse, nemo nescit. Nam sophistarum doctrinis adversans ille docuit, in republica suam quemque utilitatem et felicitatem quidem debere sectari, dummodo ne tota respublica detrimentum caperet; itaque bonos cives conjunctos resistere jussit voluptati malorum qui nihil cuperent nisi suam felicitatem; itaque quemque decere docuit et se et alios in dies meliores, sapientiores, temperantiores reddere, ea enim re totius reipublicae augeri salutem, Itaque neminem posse amicum esse nisi bonum. —

His autem praeceptis et majorum doctrinam conservare et amplificare pestemque imminentem et irruentem prohibere et reprimere studebat simulque primus videtur recte perspexisse rationem intercedentem inter singulos et omnes, inter hominem et homines, cum et sibi quisque et aliis simul servire debeat, eodemque fundamento amicitiam niti cognovit. Minime autem mirabile est quod Socrates aequalibus suis cum summo odio tum maximae admirationi fuit, cum revera judicandus sit homo temporis illius sapientissimus idemque homo vere Graecus et patriae

amans qui pericula imminentia toti reipublicae ex sophistarum aliorumque sententiis avertere conatus sit quantum posset. Itaque quo facilius cognosceremus Socratis doctrinam haud praetereundas esse putavimus sophistarum opiniones quippe quae magni momenti fuerint in depravandis aequalium moribus quos ad rectam viam, ad virtutem ille revocabat. —

Quibus omnibus consideratis invenisse nobis videmur et intellexisse Socratem revera esse philosophum admiratione dignum recteque judicavisse de amicitiae vi, natura, origine.